

SCRIPTA

Numéro Scripta : 277

Autre(s) référence(s) : Tabuteau 281

Auteur(s) : Henri Ier Beauclerc, Angleterre (roi)

Bénéficiaire(s) : Conches-en-Ouche, Saint-Pierre de Castillon ou Châtillon (abbaye)

Genre d'acte : pancarte

Authenticité : non suspect

Datation : [1130-1135]

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Pancarte d'Henri [Ier], roi d'Angleterre et duc de Normandie, confirmant à l'abbaye de Castillon (Saint-Pierre de Conches) ses possessions et ses privilèges.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Delisle Léopold, Passy Louis, *Mémoires et notes de M. Auguste Le Prévost pour servir à l'histoire du département de l'Eure*, Évreux, Hérissey, 1862-1869, 3 vol., t. 2, p. 183, 228, 334, 437, 507, 510, 512 (extraits).
- b. Piolin Paul, Sainte-marthe Denis de, *Gallia Christiana in provincias ecclesiasticas distributa*, t. XI, Paris, Palmé, 1874, Instr. Eccl. Ebr., n° V, col. 128-133.
- c. Haas Claire de, *Le Grand cartulaire de Conches et sa copie : transcription et analyse*, Le Mesnil-sur-l'Estrée, Imprimerie Nouvelle Didot, 2005, 1 vol., n° 406, p. 542-559.

Indications

Cronne Henry Alfred, Johnson Charles, *Regesta Regum Anglo-Normannorum 1066-1154*, vol. 2, Regesta Henrici primi 1100-1135, Oxford, Clarendon Press, 1956, n° 1701, p. 250.

Dissertation critique

Datation de la pancarte proposée par Claire de Haas. L'acte le plus ancien contenu dans cette pancarte est la charte du fondateur Roger de Tosny datant 1035. Cf. Épiscopat d'Hugh d'Amien, archevêque de Rouen, 1130-1164 ; règne d'Henri Ier, duc de Normandie, 1107-1135.

Texte établi d'après b

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Ego Henricus, Dei gratia rex Anglorum et dux Normannorum, pro salute animæ meæ, et patris et matris meæ, atque antecessorum meorum, necnon conjugis meæ, et universæ prolis a Deo mihi concessæ, concedo monachis in ecclesia sancti Petri Castellionis Deo servientibus, liberam et quietam electionem abbatis, secundum regulam sancti Benedicti, et quod omnes homines eorum in Anglia manentes, sint liberi et quieti de omnibus consuetudinibus et querelis ad me pertinentibus, scilicet de Sire, et de Hundret, et de Geih, et de Hildiet, et de Hundresu, excepto muldre, si repertum fuerit in terra eorum : et si furtum repertum fuerit in terra eorum, forefactum sit monachis et justitia mea. Et in Normannia, apud portum qui vocatur Dieppa, sint monachi et omnes res eorum, et proprii famuli liberi et quieti de omni passagio, de omni consuetudine in

villa, et de omnibus hominibus eorum ibi manentibus, habeant monachi Lesveel. Et si homines eorum habuerint naves in mari piscantes, quidquid de navibus illis ad me pertinet, amore Dei concedo prædictis monachis, et cum his supradictis concedo et confirmo ecclesiæ sancti Petri Castellionis, omnia dona et beneficia quæ ei dederunt in regno et ducatu meo Rogerius Senior de Toënio, et filius ejus Radulphus Senex, et Radulphus Juvenis filius prædicti Radulphi Senis, et Rogerius filius Radulphi Juvenis, et eorum homines, et alii barones mei, sicuti scripta leguntur in hac charta. Ego Rogerius filius Radulphi Toteniensis, pro salute animæ meæ, et patris ac matris meæ, et conjugis meæ Godehildis, et universæ prolis a Deo mihi concessæ, et pro anima senioris mei Roberti comitis, ac filii ejus Guillelmi, concedo in usus servorum Dei servientium in monasterio dicato in honore sancti Petri apostoli, in loco qui Castellion appellatur, de rebus meis quas in pace teneo, villam ipsam quæ dicitur Castellion, ex integro ab omnibus calumniis et querelis absolutam et liberam, cum molendino de Fontana, cum territorio omni ad eamdem villam pertinente, cum teloneo ex integro ipsius villæ et territorii, cum forefactis, cum banleuga libera, et cum omnibus penitus redditibus, cum decima totius parochiæ, et ecclesiam sancti Audoëni de Conchis, cum decimis et offerendis ex integro, et terram de Vernay ad quinque carrucas ; decimam quoque de Chorlandis de una carruca, cum hospite uno ; decimas, etc. de silva quæ appellatur campania Ranuldi in portis, in denariis, in atheriis, in annona, in carne, et de omnibus aliis silvis meis. Et de Louverciaco, de carruca una cum hospite uno ; ecclesiam de Achineio, cum offerendis et decimis de annona, et de vino ex integro, et de piscibus aquæ quæ dicitur Auctura, et de molendinis in eis : decimas de duabus carrucis in villa quæ dicitur Fontanis, et de vino et de silva, de pratis ; decimas sancti Ursini de Villari-villa, de vino et de omnibus quæ ibi pertinent ; ecclesiam de Toteneio, cum offerendis et decimis de annona et de vino ex integro, et de pratis et de piscibus. In Helgavilla, ecclesiam et decimam, et unum hospitem. In Villari villa, ecclesiam et decimam, et unum hospitem. Ad Mortuum-mare, decimam de duabus carrucis, et de duobus molendinis, et de præpositura ejusdem villæ, et unum hospitem. In Waringivilla, ecclesiam et decimam, cum feodo Formani presbyteri, et decimam de uno molendino, et tertiam partem de terræ et de hospitibus quos habeo in villa quæ vocatur Dieppa. In Walitherivilla, decimam de una carruca, cum hospite uno. In Rothomago unum hospitem, et tertiam partem de pratis meis. Juxta Rothomagum, in Villari-villa, juxta pontem Erchenfridi, ecclesiam et decimam cum pertinentiis suis, et unum hospitem, et fœsum osuli de Monasterio. Hæc vero quæ subscripta leguntur, et quæ in futuro pro Christi nomine ascribentur, ego Hugo Ebroicensis episcopus affirmo et contestor, et hoc affirmat Hugo Bajocensis episc. et Robertus de S. Laudo episcopus, et Johannes abbas sanctæ Trinitatis, Isembertus abbas, Gradulphus abbas, Robertus abbas, Frodmundus abbas, Albericus abbas. Si quis ergo ex his aliquid subtraxerit violenter, nos illum omnino excommunicamus et anathematizamus ; fiat, fiat. Ego Radulphus de Totteneio, cum Godehilde matre mea, pro sepultura patris mei Rogerii, concedo S. Petro de Castellione apud Achineium, gordum unum quinque millium anguillarum de sancta Cecilia, fœsum quoque Claverii, et fœsum Obardi, et mansuras plures, et terras in eadem villa. Apud Fontanas molendinum unum, et fœsum Lancelini presbyteri, et fœsum Odelini nutricii cum plantato in dominio, et decimam redditus denariorum et molendinorum, et totius domini mei, tam plani quam nemoris, S. Vigoris. Apud Totteneium, gordum unum, cum hospite uno ad custodiendum gordum, et fœsum Richerii filii Radulphi, et hospites plures ac vineas in eadem villa. In Warengivilla, hospites qui pertinent ad eleemosynam sancti Walerici, et terram de Briveria apud Landam, quæ dicitur Sebecort, terram ad duas carrucas ; et concedo omnem decimam omnium molendinorum meorum per totam meam terram, et decimam omnium denariorum meorum de omnibus redditibus meis, in omnibus dominiis meis, vel etiam forefactis, in Conchis, in Ferraria, in Achineio, in Totteneio, in Helgavilla, in Mortuo-mari, cum ecclesiis ejusdem villæ, et in omnibus villis meis aliis ; et concedo eandem libertatem et consuetudinem in omnibus hominibus ecclesiæ, in omni terra sua, per totam meam terram quam habent in Castellione ; concedo etiam fœsum Willelmi de Waleile in dominio, et fœsum Gerelini de Fraxino. Do etiam in Anglica terra in dominio, manerium unum qui vocatur Liena, et ecclesiam ejusdem villæ, et totam decimam, et decimas de meis dominiis, tam de planis quam de bochis, in omnibus aliis meis maneriis, scilicet de Cabenona decimam de dominio cum uno hospite, de Flammestede decimam de dominio cum uno hospite, de Eschadesleis decimam de dominio cum uno hospite, de Werveslees decimam de dominio cum uno hospite, de Alnieleia decimam de dominio et duodecim denarios, de Roberto de la Barduna, de uno escarto, et partem decimæ de Salinis, de Bisga decimam de dominio, de terra Osbini filii Rualdi, decimam de dominio et unum hospitem, de Eseleia decimam de dominio, de Albodeleia et de Linda, decimam de dominio et tres hospites, de Stoches et de Hydra decimam de dominio cum uno hospite, de Bramesberga decimam de dominio do, et decimam firme denariorum de terra quæ vocatur Elevent, de Renisleia decimas de dominio, de Estandona decimam de dominio, de Pithea decimam de dominio, de Sturtona sexaginta acras terræ ; in villa de Herefort unum hospitem, de Bur decimam de dominio, de Coloen decimam de dominio. Ego Radulphus junior, filius Radulphi Senioris

de Totteneio, do sancto Petro de Castellione ecclesias de Welcomeston, et totam decimam, decimam quoque de dominio de Guerthelingis. Ego Rogerus de Totteneio filius Radulphi junioris, do monachis S. Petri Castellionis pro salute animæ meæ, patris et matris meæ, et antecessorum meorum, unum manerium, scilicet Wertheam, totum liberum et quietum in dominio eorum, et ecclesiam et decimam ejusdem villæ, et quidquid pertinet ad illam villam, scilicet unum molendinum, et maras ibi adjacentes ad piscandum, et warennam ; concedo etiam eidem ecclesiæ decimam omnium cendrarum et caronum meorum in omnibus silvis meis. Ego Godehildis comitissa Ebroicæ civitatis, quondam uxor Rogerii de Totteneio, pro salute animarum nostrarum, do sancto Petro de Castellione decimam de villa quæ vulgo dicitur Cravençon, et decimam duorum molendinorum de Hondovilla et de Albania, eam partem decimæ atque ecclesiæ, quam emi de Radulpho Barbato, annuente domino ac Seniore meo comite Richardo. Manifestum sit omnibus quod Robertus de Romeliaco, quando effectus monachus est, dedit ipse et uxor ejus, et filii ejus Willelmus, et Robertus, et Richardus, sancto Petro, decimam quam habebat Corlandis, et eam quam habebat Louverciaco. In Corlandis medietatem decimæ ; in Louverciaco duas garbas, annuente Radulpho de Totteneio cujus fœsi erat, Gerelino a Romeliaco, magistro a servulo. Filii quoque ejus pro remedio ipsius animæ, dederunt sancto Petro de Castellione duas garbas decimæ de villa quæ dicitur Cantalupum, annuente Radulpho de Totteneio et Willelmo de Romeliaco, quorum fœdum erat, assistentibus testibus Walterio de S. Elerio, Willelmo de Fraxino ; et sciendum est quod prædictus Willermus de Romeliaco, quando effectus est monachus, dedit sancto Petro ecclesiam et decimam de Greignosavilla, et decimam de duobus molendinis in eadem villa, annuente Richardo filio ejus et Radulpho de Totteneio ; et sciendum est quod Radulphus de Busvilla filius Radulphi avunculi Willelmi de Romeliaco, ambulans in hortum dedit S. Petro de Castellione, duas garbas decimæ de terra quæ vulgo vocatur Enneiss, pro remedio animæ suæ antecessorumque suorum, annuente hoc Aufrida uxore sua, et filio eorum Huberto ; dederunt et decimam omnis generis lini ipsius terræ, astantibus Willelmo de Romeliaco et Richardo filio ejus, quorum fœsum erat. Ego Richardus juvenis de Romeliaco filius Richardi, do monachis sancti Petri Castellionis, pro salute animæ meæ, et antecessorum meorum, et pro sepultura patris mei, ecclesiam de Louverciaco, et fœsum Rogerii filii Berthæ fratris Godefridi sacerdotis, liberum et quietum, et quidquid de illo fœso patri meo et antecessoribus meis factum fuit, amodo fiat monachis. Ego Ilbertus vicecomes, do monachis S. Petri Castellionis, pro salute animæ meæ et antecessorum meorum, quartam partem de durra totius illius manerii, vel L solidos, si magis placuerit, monachis, annuente Radulpho de Toënio domino meo. Sciant præsentis et futuri, quod Richardus Mansellus et Garinus filius ejus, concesserunt sancto Petro de Castellione medietatem terræ quæ vulgo dicitur Baillol, insuper monasterium cum cimeterio liberum ; quot etiam homines in hoc cimeterio habere voluerunt ad manendum, liberi erunt sancto Petro, et ipsum etiam altare ; decimam et campum per medium æque dividetur, excepta decima Huberti, qui liberam tenens, ipse Hubertus tradidit sancto Petro, annuente ipso Garino, post hoc terram unius carrucæ liberam, ultra medietatem supradictam ; omnis autem redditio ipsius terræ communis per medium partietur, exceptis quæ supra diximus ; omne quoque dominium et omnem libertatem sancto Petro tradiderunt ; adjutorium seu forisfacturam de aliquo homine ipsius terræ nullus capiet, alio ignorante, capta quoque per medium dividetur : ultra cimeterium etiam si homines ad habitandum nobis venerint, terram invenient liberam qua manere poterunt, libertate tali quali in cimeterio. Hæc conventio firmata est per decem libras et unum equum de caritate Sancti, coram Radulpho de Totteneio et uxore ejus Elisabetha, quarta feria Paschæ, anno ab Incarnatione Domini millesimo octogesimo, regnante rege Guillelmo in Anglia, Philippo in Francia. Et hæc firmata sunt per Radulph. Tottenensem cujus fœsum erat, assistentibus ex parte Richardi Roberto de Garenceres et Heberto de Baillolio ; ex parte Sancti Ilberto vicecomite, Willelmo de Romeleio. Hanc conventionem se servaturos in perpetuum sub juramento Richardus et Garinus filius ejus præsentibus his testibus firmaverunt. Sed etiam sciendum est quod succedentibus annis tres filii prædicti Garini, Guillelmus, Garinus et Richardus medietatem suam prædictæ decimæ de Baillol in tres partes æqualiter diviserunt. Guillelmus vero et Richardus suas partes sancto Petro dederunt, annuente Rad. Juniore, assistentibus Willelmo Villano, Gerelino de Fraxino, et Gerelino Buxone. Ego Robertus de Stafort filius Rogerii de Totteneio, pro salute animæ meæ et antecessorum meorum, do et concedo monachis sancti Petri Castellionis ecclesiam de Octona liberam et absolutam, cum decimis et oblationibus meis in eadem villa, et cum omnibus ad eandem ecclesiam pertinentibus, sine aliquo particeps, excepto capellano eorum voluntate præsentato. Do etiam eisdem monachis unam hydram terræ adjacentem ecclesiæ, et aliam hydram quæ vocatur Douresel, et unum manerium quod vocatur Christona nomine : etiam quam libertatem ego habeo in eadem villa, et homines mei, eandem habeant monachi et homines sui, in plano et in boscho, in pratis et in agnis ; hæc omnia dono et concedo libera et absoluta ab omnibus consuetudinibus quæ michi pertinent, annuente filio meo Nicholao et Wolstano Vigornensi episc. hoc donum confirmante et excommunicante omnes illos qui hæc prædicta beneficia minuere vel substrahere tentaverunt. Memoriam fidelium traditum sit quod ego Ebrardus Britholiensium dominus, annuente et consulente Ineta matre mea, concedo et restituo ecclesiæ Castell. pro salute animæ meæ et antecessorum meorum, ecclesiam videlicet de Haracaville, cum terra ejusdem ecclesiæ et omnibus ad eandem ecclesiam pertinentibus, videlicet cum omni decima totius territorii ejusdem villæ, quam quidem homines nostri in parte ab eadem abbacia injuste abstulerant, et in multis distraxerant : necnon etiam nonaginta garbas quas clientes nostri de eadem decima injusta coactione et mala consuetudine capiebant, libere et absolute eidem abbatiæ concedo

et restituo. Hæc autem juste fieri iudicavimus, ut omnis decima totius villæ cum omni fructu terræ, ecclesiæ in una domo congregetur, quatenus sacerdos qui electione abbatis eidem ecclesiæ servierit, tam annonæ quam stramenti libere tertiam partem accipiat, et abbatia duas. Hæc autem restituta sunt et confirmata ecclesiæ Castellionensi per manum domni Hugonis venerabilis archiepiscopi Rothomagensis, assistentibus videlicet Roberto archidiacono et Guidone clerico Andeliacensi, Radulpho Gastinel, Gerelmo de Buxone apud Rothomag. in præsentia archiepiscopi juxta culpam confitente et veniam requirente. Ego Gerelmus de Fraxino pro anima senioris mei Rogeri de Totteneio et filii ejus Radulphi, et pro redemptione animæ meæ, do S. Petro post mortem meam, Fraxinum et hæreditatem meam in perpetuum tenendum ; ad præsens autem duos Francos homines in dominio. Hoc annuit Godehildis comitissa et Radulphus senior meus, salva custodia Totteniens. domini. Ibi affuit Hugo Bajocensis episcopus et Willelmus Ebroicensis episcopus, qui hoc donum confirmaverunt, ex quorum maledictione et ex autoritate sancti Petri apostoli et Omnium sanctorum Dei sint anathematizati, qui hoc beneficium ab ecclesia Dei substraxerunt. Sciant præsentés et futuri, quod Gerelinus de Vernaco pro anima sua dedit sancto Petro decimas totius terræ suæ apud Buxon et apud Nagel, annuente Radulpho de Totteneio, cujus fœsi erat. Iterum sciendum est quod Radulphus de Noisement, pro salute animæ suæ dedit sancto Petro omnem decimam terræ suæ de Noisement, et terram cum hospite, et decimam culturarum sui Senioris in villa quæ vocatur Nogent, annuente Gilleberto domino suo, et Radulpho de Totteneio, cujus fœsi erat. Item sciendum est quod Robertus Paganus et Erchembaldus de Moncellis fratres, et Hugo de Rolvilla eorum socer, dederunt sancto Petro omnem decimam terræ suæ de Moncelx, amore Dei et domni Sulpitii abbatis, cujus parentes erant, tempore Henrici inclyti regis Anglorum, annuente Gilleberto de Mineriis, cujus fœsi erat. Item sciendum est quod Rogerius de Clara pro anima senioris sui Rogerii de Totteneio, dedit sancto Petro ecclesiam et decimam de Haracavilla et duas garbas decimæ de Buré, annuente Godehilde comitissa, et Radulpho filio ejus de Totteneio, cujus fœsi erat. Item sciendum est quod Girolodus Gastinellus dedit sancto Petro duos homines et mansuras duas, et decimam terræ suæ in villa quæ dicitur Valvilla, annuente Radulpho de Totten. cujus fœsi erat. Item sciendum est quod Willelmus de Valeil, liberis carens, dedit sancto Petro ipsum Valeil in dominio tenendum, annuente Radulpho de Toënio, cujus fœsi erat. Item sciendum est quod Gillebertus de Clara dedit sancto Petro ecclesiam, et decimam et terram Rogerii capellam, in villa quæ Puteneia dicitur, annuente Radulpho de Totten, cujus fœsi erat. Item sciendum est quod Robertus de Guidvilla dedit sancto Petro medietatem decimæ de Guidvilla, annuente Radulpho de Totten. cujus fœsi erat. Item sciendum est quod Gerelinus de Bosco-Hugonis, quando effectus est monachus, dedit sancto Petro decimam omnium hominum suorum de Bosco-Hugonis, annuente Radulpho de Toënio, cujus fœsi erat. Item sciendum est quod Robertus de Aureis-vallibus, pro salute animæ suæ, dedit S. Petro decimam ejusdem villæ, annuente Radul. de Toënio, cujus fœsi erat. Item sciendum est quod Stephanus, et Guidmundus, et Willelmus, et Radulphus filii ejus, dederunt sancto Petro decimam terræ suæ de Bosco-Raillato, annuente Radulpho de Vernaco et Radulpho de Toënio, quorum fœsum erat. Item sciendum est quod Radulphus de Iglisoles decanus, dedit sancto Petro duos hospites cum ortis, in villa quæ vulgo dicitur Merderel, pro monachatu suo, annuentibus parentibus, et Gaufrido domino suo de Villaledt, coram Radulpho de Totteneio. Item sciendum est quod Simon de Ulmeto, tempore inclyti regis Anglorum Henrici, dedit sancto Petro decimam de Oissel, per manum Audoëni Ebroicensis episcopi, annuente uxore sua, filia Rogerii de Ferrariis, et filio suo primogenito, quam videlicet decimam Rad. et Garinus fratres prædicti Rogerii ejusdem, ecclesiæ concesserant, et donum super altare posuerant, tempore domni Sulpitii abbatis, annuente Willelmo Darsello, cujus fœsi erat, apud Achineium, coram Radulpho de Totteneio, tempore ipso illo existente prætore in Achineio. Ego Radulphus de Totteneio filius Rogerii fundatoris ecclesiæ sancti Petri Castellionis, do et concedo, et eidem ecclesiæ subjecta facio, omnia hermitagia in foresta mea de Conchis, et quicumque infra forestam illam et in aliis silvis meis terram coluerit, ex toto prædictæ ecclesiæ, decimas dono et concedo. Ego Robertus filius Ilberti vicecomitis, do et concedo quartam partem de Durra monachis sancti Petri Castellion. pro salute animæ meæ et antecessorum meorum, et pro illa quarta parte quam dedit pater meus Ilbertus, et pro ista quam ego dono, habent monachi quinquaginta solidos in villa de Durra. Sic signatum. Hoc est signum inclyti Henrici regis Anglorum et ducis Normannorum. † Sign. Adelizæ Anglorum reginæ. † Signum Hugonis archiepisc. Rothomagensis. † Signum Audoëni episcopi Ebroicarum. † Signum Willelmi comitis de Garenna. † Sig. Amaurrici comitis Ebroicarum. † Signum Hugonis cognominati Hugoh dapiferi regis Anglorum. † Signum Rogerii de Totteneio. † Signum prioris sancti Ouvaldi. † Signum Roberti de Novoburgo. † Signum Gaufridi filii Pagani.